



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum  
theologiae scholasticae tomus ...**

**Rhodes, Georges de**

**Lugduni, 1661**

[Sectio I. De objectis quæ cognoscuntur a Deo per scientiam simplicem.]

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)



realiter, simul tempore obiectum vt possibile, & vt futurum, prius tamen secundum nostrum modum intelligendi, obiectum intelligit possibile quam futurum, quia obiectum prius est possibile quam futurum; tota enim in obiectis prioritas est, non in cognitione, ideo propter sola obiecta dicuntur esse in Deo plura signa rationis. Denique Deus ab aeterno cognoscit futurum, & ab aeterno potest illud non cognoscere, nam illud ab aeterno non significat aliquid instans determinatum sed totam aeternitatem, nunc enim Deus potest absolute cognoscere obiectum illud non futurum, quamuis ex suppositione quod sit futurum Deus non possit illud non cognoscere vt futurum.

*Solutio secundae.* Ad secundam Respond. disting. consequent. ergo scientia Dei ab aeterno variari potuit secundum id quod dicit in recto nego: secundum id quod dicit in obliquo concedo, illa enim terminatio est ipsa entitas connotans extrinsece obiectum. Nunc autem variari nullo modo potest etiam secundum id quod dicit in obliquo, quia quidquid est futurum, est ab aeterno futurum; ideoque cum variari non possit obiectum, cognitio quoque ipsa variari non potest etiam extrinsece.

*Solutio tertiae.* Ad tertiam satis dictum est quare actus qui ab aeterno variari potuit secundum terminationem, nunc variari non possit, quod si aliquid de nouo inciperet esse futurum, fateor quod sine variatione intrinseca posset Deus scire illud de nouo, sed haec omnia pendent ex dicendis de actu libero Dei. Hanc propositionem: Deus aliter scit obiecta quando futura sunt, & quando sunt praeterita, distinguit S. Thomas aliter ex parte sui nego, eodem enim modo Deus illa omnia cognoscit: aliter ex parte obiectorum, concedo, Deus enim cognoscit obiecta illa se aliter habere. Unde hanc propositionem: Deus scit quaecumque sciuit dicit sanctus Thomas esse veram, ex parte Dei, non ex parte enunciabilium, quia licet obiecta diuerso modo se habeant Deus tamen eodem modo illa scit, quia sciuit ab aeterno, quo modo illa futura sint pro hac vel illa differentia temporis.

## SECTIO IV.

*Multiplex diuisio scientiae diuinae.*

*Vniuersae sunt speciei.* Certum est primo, scientiam Dei non posse diuidi, etiam per intellectum in multas scientias specie diuersas, quia scientia specificè non differunt nisi per obiecta à quibus specificantur, sed obiectum formale specificans scientiam Dei est vnum simpliciter, quia vnum est in Deo primum obiectum & motuum vt dicitur in sequentibus, ergo non sunt in Deo scientiae plures formaliter diuersae, sed ad summum materialiter.

*Prima diuisio.* Certum est secundo, scientiam Dei optimè diuidi primo in scientiam simplicis intelligentiae, & scientiam visionis, secundo in scientiam naturalem, & liberam. Tertio in scientiam speculatiuam, & practicam. Primam diuisionem habet hic S. Thomas art. 9. scientia simplicis intelligentiae dicitur illa quae cognoscit obiecta possibilium non cognoscendo actuales eorum existencias. Scientia visionis illa dicitur quae cognoscit obiecta quae habent actualem existentiam pro aliqua differentia temporis & haec est harum scientiarum vera notio, non autem illa quam alij fingunt quod vna praecedat decretum, alia sequatur vt sic excludatur à scientia possibilium scientia media quae neque antecedit, neque sequitur decretum vt postea dicitur.

*Secunda diuisio.* Secunda diuisio vulgò etiam admittitur, scientia naturalis, & necessaria terminatur ad ea quae non possunt se aliter habere, cuiusmodi sunt Deus, & en-

tia possibilium. Scientia libera dicitur illa quae cognoscuntur obiecta quae possunt se aliter habere, cuiusmodi sunt omnes creaturae in aliqua existentes differentia temporis, vbi patet posteriorem hanc diuisionem multum differre à precedente cum Deus cognoscatur scientia naturali, & tamen scientia visionis.

Tertia etiam diuisio in scientiam speculatiuam & practicam receptissima est, quia scientia Dei (vt dixi) sic est scientia, vt etiam sit ars, & prudentia, speculatiua ergo scientia dicitur illa quae tantum cognoscit obiecta, nihil operando circa illa quo pacto Deus cognoscit se ipsum, & res futuras vel existentes. Practica illa dicitur quae ita cognoscit obiecta, vt dirigat potentiam circa illa operantem, & haec vocari solet scientia approbationis, quae Deo proponitur obiectum amabile vt faciendum. Alias omitto diuisiones scientiae diuinae minus necessarias; difficultas solum esse posset, vtum diuisiones illae, in scientiam simplicem, & scientiam visionis, & in scientiam necessariam & liberam, ita sint adaequatae vt nulla inter illas detur scientia media, sed hoc quaest. 4. commodius soluetur.

*Tertia diuisio.*

## QVÆSTIO II.

*De scientia simplicis intelligentiae.*

**H**is ita generatim constitutis de scientia Dei, venio ad praecipuas eius species, inter quas prima occurrit scientia illa simplicis intelligentiae, quae versatur circa rerum naturas, & proprietates, abstrahendo ab actuali exercitio existentiae, in qua video quare posse duo, quid cognoscat, & in quo medio cognoscat, quod autem queri poterat ulterius, vtum extra se omnia efficiat, siue vtum illa sit causa rerum, dicitur quaest. 5.

## S. I.

*Quanam obiecta cognoscantur à Deo per scientiam simplicis intelligentiae.*

**C**ertum est primo, ens possibile dupliciter possibile. Primo prout opponitur rei impossibili, id est prout praescindit ab existentia. Secundo prout opponitur rei actu existenti, seu prout negat actualem existentiam. Ens possibile primo modo sumptum significat illud quod non implicat contradictionem, seu illud quod non repugnat existere, quod vt videtur conuenit ipsi etiam Deo, & rei cuiuslibet actu existenti: sumptum autem secundo modo, significat illud quod licet non implicet existere actu, nondum tamen actu existit. De hoc utroque possibili controversum est inter philosophos quid sit, & quomodo differat ab eo quod actu existit; primo enim rejicitur vulgò Scotus qui putat, ens illud quod denominatur possibile, esse aliquid actu productum effectiue, aut exemplariter à cognitione diuina, quod vocat esse obiectuum & diminutum. Secundo rejicitur Fonseca, & Albertinus, qui putant ens possibile, esse aliquid esse essentiae actuale distinctum ab esse existentiae, independens à Deo, nullo modo Chimericum, sed reale, quod vocant esse essentiae. Tertio rejici debent quidam recentiores, qui putant rei possibilitatem non esse aliud formaliter, quam omnipotentiam Dei, prout factiuam creaturae, quasi verò possibilitas non sit aliquid commune Deo, & creaturis; & non possit reddi ratio cur Deus possit creare hominem, quia homo in suo conceptu non includit contradictoria, sicut redditur ratio, cur Deus non possit creare Chimera, quia illa in suo conceptu includit contradictoria; si enim est prius quod Deus possit creare hominem, quam illum non includere contradictoria,

*Eus possibile quid sit.*



ria, sic prius erit quod Deus non possit creare Chimaram quam quod illa in suo conceptu includat contradictoria.

Possibili-  
ras duo  
dicit.

Certum igitur secundò est, quod in quolibet ente possibili duo debent distingui. Primum quod dicit in recto, alterum quod dicit in obliquo, illud quod possibile dicit in recto, est ipsummet ens secundum totam suam entitatem, quam haberet si existeret actu, quia sine dubio ens possibile, illud est quod postea existit, & ens existens secundum totam suam entitatem fuit possibile: In obliquo dicit duplicem possibilitatem in abstracto, altera est intrinseca, & radicalis, altera extrinseca, & proxima. Prima est non repugnantia rei ad existendum, seu negatio contradictoriorum in eo conceptu inclusorum. Quod explicari potest per hanc conditionalem, si res existeret nulla sequeretur contradictio. Ratio enim, ut dixi, cur aliquid sit producibile à Deo, est, quia non includit contradictoria, possibilitas extrinseca creaturæ nihil aliud est, quam omnipotentia Dei factiva talis creaturæ, si enim nulla esset causa quæ posset illam producere, certè illa non esset possibilis. His positis cum quaeritur obiectum materiale scientiæ possibilem, difficultas est duplex. Primò quid sit illud, quod scientia illa cognoscit. Secundò quomodo per hoc differat à scientia visionis, cuius totum obiectum videtur cognoscere.

## §. I.

*Quid sit illud quod cognoscit scientia possibilem.*

Prima du-  
bitatio.

Statim dicitur cognosci res omnes posibles, sed Ratio tamen dubitandi primò est, quia quando Deus cognoscit ens possibile cognoscit aliquid quod actu est nihil, & non ens, sed ens actu existens non est, non ens; nam ens & non ens non possunt identificari, ergo quando Deus cognoscit ens possibile. Non cognoscit id quod postea existit. Minor probatur, nam ens & non ens distinguuntur, sed nihil distinguitur à se ipso, ergo ens existens nunquam potest esse non ens: imò implicat ut non ens conuertatur in ens, & ut negatio formæ conuertatur in ipsam formam: possibilitas autem conuertitur in existentiam, ergo possibilitas rei non est negatio existentiae, sed aliquid reale actuale.

Secunda  
dubitatio.

Secundò, implicat ut aliquid concretum dicat in recto ipsum subiectum, in obliquo autem negationem illius subiecti; nihil enim potest esse subiectum negationis sui ipsius, ergo res possibilis quam Deus cognoscit per scientiam simplicem non dicit in recto ipsam rem, & in obliquo negationem existentiae, diceret enim ipsam rem, & negationem ipsius rei. Deinde Petrus hic & nunc actu est possibilis absolute sine conditione, ergo datur nunc aliquid per quod actu sit possibilis. Denique non includere contradictionem est aliquid actuale, hoc est esse possibile, ergo esse possibile est aliquid actu.

Tertia du-  
bitatio.

Tertiò, creaturæ posibles ut sic, dicunt ordinem essentialem ad Dei omnipotentiam, ergo possibilitas non potest esse prior natura quam intelligatur Dei omnipotentia, nam relatiua, sunt simul natura & cognitione. Anteced. patet, nam creaturæ, ut sic, sunt entia per participationem à Deo, & implicat illas esse posibles antequam Deus possit illas producere. Quod probò, si prius creatura esset possibilis quam Deus posset illam producere, sequeretur quod Deus non esset primum ens, & prima radix totius realitatis & possibilitatis, si enim est causa totius possibilitatis, debet esse illa prior, sed Deus est primum ens, & prima radix totius possibilitatis ac realitatis, ergo possibilitas non est aliquid prius quam posse produci ab omnipotentia.

Dico primò, per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit Deus totam essentiam rerum omnium possibilem, proprietates, & existentiam ut possibilem esse actu, non autem prout actu exercitam.

Quid co-  
gnoscat  
scientia  
simplex.

Ratio est, quia per hanc scientiam Deus cognoscit omne possibile, sed hæc omnia quæ dixi nimirum essentia, proprietates, & existentia ut possibilis esse actu, sunt possible, ergo illa cognoscuntur per scientiam simplicem. Deinde Deus cognoscens possible cognoscit aliquid verè reale, sed nullo tamen modo actuale, ergo cognoscit solam essentiam & cetera ut præcindunt ab actuali exercitio existentiae, antecedens fusè probabam in metaphys. quia ens possibile illud est quod postea existit, sed ens actu existens est reale, ergo ens possibile est etiam reale. Deinde in ente possibili duo sunt, rectum est ipsum ens postea existens: obliquum est non repugnantia rei ad existendum, illud utrunque est reale, nam esse reale non est aliud quam existere posse actu, seu non habere duo contradictoria in suo conceptu, sicut esse fictum non est aliud quam habere duo contradictoria. Illud autem esse reale nullo modo est actuale, quia rei actualitas, & existentia idem sunt. Deinde quando dicitur Petrus actu est possibilis non significatur aliquid actuale absolute, sed tantum aliquid actuale sub conditione; significatur enim quod si Petrus existeret, non esset vlla contradictio, sed propositio conditionata non significat aliquid actuale sublatà conditione, ergo possibilitas non significat aliquid reale actuale, cum illud actu nõ cadat in rem illam absolute; sed in rem cum conditione quod actu esset; tunc enim negatur sequitur esse contradictionem. Deinde obseruo, quod ille terminus (possibile) particula est diminuens, & limitans particulam illam (est) sicut si dicam homo est actu mortuus quia tunc illud, (actu) non cadit in (est) sed significat quod olim actu fuerit sic cum dicis quod homo actu est possibilis, non significatur quod nunc sit actu sed quod nunc possit esse actu.

Ad primam Resp. ex dictis in metaphys. negando illam minorem, sed ens actu existens non est non ens, quando nondum est existens. Ad probationem distinguo antecedens, ens, & non ens quod est possibile distinguuntur, nego, ens & non ens quod implicat contradictionem concedo; nam ego ipse qui nunc existo eram possibilis, cum ex veriori sententia, essentia possibile non distinguatur realiter ab essentia, & existentia actuali, sed sit omninò eadem, aliqui non produceretur id quod erat prius possibile. Deinde fateor implicare, ut non ens, quod est fictum, & impossibile conuertatur in ens sed nego implicare ut non ens quod est ens possibile conuertatur in ens. Similiter dico negationem formæ, non conuerti vquam in ipsam formam, quamuis subiectum negationis formæ conuerti possit in subiectum habens formam, quando ens possibile sit existens, negatio existentiae non conuertitur in existentiam, sed subiectum in quo est illa negatio existentiae, incipit habere existentiam.

Solutio  
primæ du-  
bitationis.

Dices, creatura possibilis est nihil, & verum non ens, ergo quando sit actu existens negatio entis, & existentiae conuertitur in existentiam.

Instantia.

Respond. negando consequentiam nam quamuis creatura possibilis sit actu nihil & habeat negationem existentiae non est tamen ipsa negatio sui ipsius, & existentiae atque adeò negatio existentiae non conuertitur in existentiam. Quando enim dicitur quod ens possibile sit non ens, vel per non ens intelligis negationem existentiae & sic nego quod ens possibile sit non ens: vel intelligis quod ens possibile habeat negationem existentiae, & sic fateor illud esse non ens.

Ad



Solutio  
secundæ  
dubitatio-  
nis.

Ad secundam Resp. nomen subiecti posse significare duo, primò illud quod recipit, & sustentat formam, secundò illud quod denominatur non existere. fateor concretum non posse coalescere ex subiecto recipiente negationem sui ipsius: posse autem dicere in recto subiectum, & in obliquo negationem, sic enim simpliciter dicitur res non existens neque dicitur subiectum negationis sui ipsius quod recipiat negationem sui ipsius, sic enim existeret & non existeret, sed dicitur subiectum huius negationis, ex eo præcisè quod subiectum hoc non existat. Deinde distinguo alterum illud antecedens, Petrus actu nunc est absolute possibilis per aliquid quod actu sit, nego, per aliquid quod posset esse actu concedo: nam significatum huius propositionis, Petrus actu est possibilis, significat tantum quod Petrus potest nunc existere, quia prædicatum illud (possibile) limitat significationem verbi (est) sicut si diceret, Petrus est actu mortuus ergo est actu, falsa esset conclusio, quæ similiter falsa est cum dicitur Petrus est actu possibilis, vel futurus, ergo est actu, quia possibilitas, & futuritio tollunt omnem actualitatem, & actu possibile dicit tantum aliquid quod esse potest actu, non autem esse actu, actualitas enim illa cadit in existentiam, non in ipsam potentiam. Denique nego quod non includere contradictionem sit aliquid actuale absolute, est enim aliquid quod potest esse actu non quod sit actu, unde homo possibilis differt actu à Chimæra per aliquid quod potest esse actu, non per aliquid quod sit actu.

Solutio  
terciæ.

Ad tertiam Respon. creaturas possibles adæquatè consideratas, provt sunt creaturæ, dicere ordinem essentiali ad Deum, consideratas autem inadæquatè ac præcisè provt sunt possibles, nego illas dicere ordinem ad Deum: quia datur conceptus genericus entis possibilis communis Deo & creaturis: possibilitas ergo vt sic præcisè sumpta prior est quam Dei omnipotentia, quamvis possibilitas creaturæ, vt creatura est, sit posterior, ideo creaturæ radicaliter, & inadæquatè possunt esse possibles antequam intelligatur Deus posse illas producere: proximè autem, & adæquatè non sunt possibles nisi quia Deus potest illas producere. Deus est reuera primum ens & prima radix & causa totius possibilitatis consideratæ inadæquatè ac negatiuè, quia possibilitas eo modo considerata est aliquid commune Deo & creaturis, ergò Deus non potest esse illius radix, alioqui esset prior se ipso.

## S. II.

*An & quomodo differat obiectum scientiæ simplicis, ab obiecto scientiæ visionis.*

Ratio  
difficultatis.

Hæc est altera difficultas quam omnino insolubilem esse putant multi recentiores; Cum enim scientia simplex, & scientia visionis sint scientiæ aliquo modo distinctæ, debent etiam habere obiecta distincta, si enim vtraque idem omnino cognoscit obiectum, non possunt differre illæ scientiæ, quas certum est non differre obiecto formali specificatiuo: sed nihil omnino cognoscitur ex parte obiecti per scientiam visionis, quod non cognoscatur per scientiam simplicem. Quod probatur, nam scientia simplex cognoscit totum illud quod est possibile, scientia verò visionis cognoscit totum quod est existens, sed nihil prorsus est existens siue sit realitas siue formalitas, quod nõ fuerit, imò quod nõ sit possibile, ergo nihil prorsus ex parte obiecti cognoscit scientia visionis quod nõ cognoscat scientia simplex.

Prima euasio.

Primò enim non satisfaciunt, qui respondent idem omnino cognosci per scientiam simplicem, & per scientiam visionis, sed cognosci in diuerso statu, quia scientia simplex cognoscit essentiam, & existen-

tiam in statu possibilitatis, scientia verò visionis cognoscit in statu actualitatis, id est secundum exercitium actualis existentia.

Sed contra ille status & exercitium actualis existentia, vel est aliquid reale, & possibile, vel non est aliquid reale, sed fictum, si est aliquid reale, & possibile, ergo cognoscitur per scientiam simplicem, si non est aliquid reale, sed est fictum, non potest cognosci per scientiam visionis, ergo semper scientia visionis nihil cognoscit, ex parte obiecti, quod non cognoscat scientia simplex.

Secunda  
euasio.

Secundò, non sufficit dicere, quod per scientiam simplicem cognoscuntur vt non entia illa quæ per scientiam visionis cognoscuntur, vt entia.

Sed contra, quia scientia simplex cognoscit etiam ea quæ actu existunt secundum totam rationem possibilem, ergo non cognoscit illa vt non entia. Deinde cognoscere Petrum vt non ens, est cognoscere Petrum vt connotat negationem existentia, sed Petrus vt possibilis non connotat negationem existentia, cum sit indifferens ad existentiam & ad negationem existentia, ergo non cognoscitur vt non ens. Præterquam quòd illa negatio existentia, tunc est possibilis cum obiectum actu existit, ergo per scientiam visionis cognoscitur etiam illa negatio existentia, vt negatio possibilis, quam eandem velut actualem cognoscit scientia simplex, ergo vtraque scientia idem cognoscit.

Tertia  
euasio.

Tertiò eadem difficultas est, si respondeas cum Herice quod per scientiam simplicem cognoscitur causa indifferens ad agendum, vel non agendum; nam connotare causam indifferentem, est connotare actionem possibilem, sed scientia visionis cognoscit illam actionem, ergo scientia simplex cognoscit totum quod scientia visionis cognoscit, tota enim difficultas ad actionem reuoluitur.

Vides ergo totam hanc controuersiam eandem ferè esse, ac cum quæritur in Metaphys. vtrum existentia, & essentia possibilis, quæ abstrahit ab existentia, & non existentia, distinguantur ratione. Quia cum illud totum quod existit sit possibile, nulla videtur esse formalitas in re actu existente, quæ non includatur in re vt possibili.

Resolutio  
controuersia.

Dico 2. per scientiam simplicem Deo cognoscit materialiter totum illud ens creatum, quod cognoscit per scientiam visionis, sed formaliter tamen, & diuerso modo etiam ex parte obiecti, illud cognoscit.

Primam partem probant argumenta illa omnia quæ proposui, quia nulla omnino vel realitas vel formalitas est in re actu existente, quam scientia visionis cognoscit, quæ non sit possibilis, & non includatur in re vt possibili, ergo scientia totius possibilitatis attingit saltem materialiter totum quod scientia visionis attingit. Imò si esset aliqua formalitas in re actu existente quam Deus non cognosceret quando cognoscit illam possibilem, sequeretur quod Deus produceret illam formalitatem antequam illam cognosceret.

2. Pars explicatur, & probatur, vt scientia simplex differat à scientia visionis nõ requiritur vt scientia visionis cognoscat aliquid ens, quod nõ cognoscat scientia simplex, imò nec vt cognoscat aliquam formalitatem, aliquem statum, aliquam rationem, aliquem modum, quem nõ cognoscat scientia simplex; sed sufficit quod illud idem ens cognoscat diuerso modo, & sub diuersa ratione; aliud enim est cognoscere talem rem, talem eius rationem, & modum, aliud cognoscere rem tali modo & sub tali ratione etiam ex parte obiecti. Fateor quod scientia simplex, cognoscit omnem modum, & omnem rationem, quam cognoscit scientia visionis, sed nego quod cognoscat ea eodem modo; quia scientia visionis cognoscit omnia provt sunt actu extra causas, scientia simplex cognoscit ea provt in suo conceptu non includunt contradictionem, quæ duo vt vides

I valde



valde diuersa non in ratione rei, & materialiter, sed in ratione obiecti & formaliter.

Prima instantia.

Instabis primò, ille modus qui cognoscitur per scientiam visionis est possibilis, ergo cognoscitur per scientiam simplicem, ergo illæ duæ scientiæ non differunt obiectis.

Resp. illum modum qui cognoscitur per scientiam visionis cognosci per scientiam simplicem, sed non cognosci eodem modo, & formaliter, vnde dixi scientiæ differre obiectis formaliter sumptis, non entitatiuè sumptis & materialiter.

Secunda instantia.

Instabis secundò, ille modus diuersus, vel se tenet ex parte obiecti, vel ex parte cognoscentis, non primum quia ostensum est totum cognosci per scientiam simplicem quod cognoscitur per scientiam visionis: non secundum quia scientiæ dicuntur differre obiectis non autem per solam fictionem intellectus, imò videre rem existentem, est, videre aliquid quod non est quando videtur possibilis.

Respond. illum diuersum modum cognoscendi res easdem, non se tenere solam ex parte actus, sed ex parte obiecti, non quidem materialiter sumpti & in ratione rei, sed ex parte obiecti sumpti formaliter, & in ratione obiecti. Vnde nego quod scientia visionis cognoscat aliquam rem, aut modum, quem non cognoscat scientia simplex. Nam scientia visionis (vt dixi) cognoscit essentiam, & existentiam, vt actu positam, scientia simplex considerat illa eadem vt non repugnantia, itaque non repugnantia quæ in scientia visionis se habet materialiter, in scientia simplici, se habet formaliter, & contra.

Addi poterat hic vtrum Deus se ipsum etiam cognoscat per scientiam simplicem, non quod Deus cognoscat se ipsum præscindendo ab actuali existentia, sed quod cognoscatur à nobis cognoscere vnum attributum, v. g. quin cognoscatur à nobis cognoscere illud vt existens, in quo sensu nihil esset absurdi dicere quod Deus se ipsum etiam cognoscat per scientiam simplicem.

## SECTIO II.

### In quo medio cognoscantur à Deo possibilia.

**D**ixi quid cognoscat Deus per scientiam simplicem, nunc difficilius est obiectum formale, & medium, in quo illa omnia cognoscit. Cognoscit enim possibilia in se ipso vt obiecto formali & medio prius cognito, si aliqua perfectio Dei sit ratio cognoscendi creaturas, & specificet cognitionem quam de illis habet: cognoscat autem illas in se ipsis motiuè si creatura sit obiectum materiale, simul & formaliter, specificans cognitionem diuinam.

Triplex dubitatio.

Ratio autem dubitandi est primò, quia si Deus in sua Omnipotentia cognosceret creaturas tanquam in medio prius cognito, sequeretur quod scientia Dei, posterior esset quàm attributum omnipotentia, consequens est absurdum, ergo Deus non cognoscat creaturas possibiles in sua Omnipotentia. Maior clara est, quia obiectum formale specificans & medium prius cognitum, est prius cognitione, tu autem vis Omnipotentiam esse medium prius cognitum, specificans cognitionem, ergo prior est quàm cognitio. Quod tamen absurdum est, quia Omnipotentia, est attributum posterius non solum intellectu sed etiam voluntate. Deinde quia scientia Dei dirigit omnipotentiam, ergo manifestum est, quod est prior quàm omnipotentia. Denique non ideò Deus est omniscius, quia est omnipotens, si enim non esset omnipotens, non propterea sequeretur quod non esset omniscius.

Secundò, intellectus infinitus cognoscit necessariò omne cognoscibile, sed creaturæ possibiles sunt

aliquid cognoscibile in se ipsis, ergo Deus cognoscit illas in se ipsis, sed cognoscere creaturam in se ipsa, est creaturam esse medium specificans cognitionem diuinam, ergo creatura est medium specificans Dei cognitionem. Neque satis est dicere creaturas cognosci à Deo in se ipsis terminatiuè, nam cognoscere rem in se ipsa, est creaturam esse obiectum formale motiuum, sicut cum dico creaturas cognosci in omnipotentia, significatur omnipotentiam esse obiectum formale motiuum talis cognitionis.

Tertiò, Deus non potest cognoscere mala, entia rationis, & impossibilia in se ipso motiuè, ergo cognoscit illa motiuè in se ipsis.

Dico primò, Deus cognoscit creaturas possibiles in sua omnipotentia tanquam in obiecto formali & medio prius cognito, ita S. Thomas & omnes Doctores olim citati pro visione possibilium in verbo, est enim eadem ratio de diuina cognitione.

Primò enim sic expresse asserunt Patres, Dionysius in primis & Aug. nam ille c. 7. de diuin. nominib. *Non enim (inquit) ex rebus ipsis res discens, nouit eas diuina mens, sed ex se ipsa, & in se ipsa secundum causam omnium, scientiam, & notionem, & essentiam præhabet, & ante comprehendit, non singulis secundum cuiusque speciem intendens, sed secundum vnicam causam complexionem cuncta sciens, & continens: tum addit se ipsam, igitur diuina sapientia noscens sciet omnia materialia sine materia & indiuisibilia, & vnicè multa: ipso vno omnia, & cognoscens, & producens: tum concludit hac igitur ratione Deus, res cognoscens, non scientià rerum, sed sui ipsius ipsas nouit.* Vide Cyparissiotam Decade 5. c. 5. neque minus perspicue loquitur Augustin. l. 6. de Trinit. c. 10. vbi verbum Dei vocat artem quandam omnipotentis, & sapientis Dei, plenam omnium rationum viuientium, concluditque, ibi nouit Deus omnia quæ fecit per ipsam, & l. 5. de Genesi ad litteram adducens illud Ioan. 1. quod factum est in ipso vita erat, *In qua vita (inquit) vidit omnia quando fecit, & sicut vidit ita fecit, non præter se ipsum videns, sed in se ipso.*

Secundò, rationes superius allatæ pro visione creaturæ huc omnino faciunt, nam vt aliquid cognoscatur in alio vt medio, & obiecto formali sufficit connectio necessaria, & continentia, Dei omnipotentia continet eminenter omnia possibilia, & cum illis connexa est necessariò, vt dixi, ergo illa potest esse medium, in quo Deus cognoscat possibilia. Deinde illud quod est medium sufficiens ad cognitionem comprehensiuam causæ potest etiam esse medium ad distinctam cognitionem effectuum, sed Deus in se ipso est medium ad comprehensionem omnipotentia, ergo est etiam medium ad comprehensionem effectuum omnium possibilium. Denique cognitio diuina debet necessariò habere obiectum formale motiuum à quo specificetur, sed non potest habere obiectum formale à se distinctum, alioqui penderet à creaturis, & illis indigeret ad aliquam sui perfectionem, ergo, &c.

Dico secundò, Deus cognoscit etiam in se ipsis possibilia materialiter, & terminatiuè, non cognoscit illa in se ipsis formaliter, & motiuè.

Ratio est, quia Dei cognitio (vt dixi) non potest specificari à creatura, alioqui ab ea penderet, & ad eam referretur, & Deus careret aliqua perfectione intrinsecâ, quam haberet si creaturæ illæ non essent possibiles, ergo Deus non cognoscit in se ipsis formaliter, & motiuè creaturas possibiles, cognoscit autem illas in se ipsis materialiter, & terminatiuè, quia illas cognoscit vt sunt in se ipsis, eodem modo, ac si ab illis moueretur immediatè, & ab illis specificaretur, vt ex cognitione futurorum magis constabit.

Ad primam Resp. scientiam Dei prout terminatur ad

Prima conclusio.

Patres.

Rationes.

Secunda conclusio.

Solutio primæ dubitationis.